



## PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 1130/18/I

BEATISSIME PATER,

Dominicus Rey, Episcopus Foroiuliensis-Tolonensis, a Sanctitate Tua plenariam implorat Indulgentiam pro fidelibus qui, omnem affectum erga quodcumque peccatum excludentes, sese sacramentali Confessione purificantes et SS.ma Eucharistia reficientes, preces demum ad mentem eiusdem Sanctitatis Tuae pie fundentes, Nostrae Dominae Gratiarum Sanctuarium de Cotinacco, praefatae Dioeceseos, a die I proximi mensis Decembris usque ad diem V Ianuarii MMXX pie invisent, diebus praesertim in quibus pecularia devotionis marianae exercitia cum magno populi concursu peragentur, ad digne commemorandum quingentesimum anniversarium Beatae Mariae Virginis Apparitionum.

Et Deus, etc.

Die XV Novembris MMXVIII

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de Summi Pontificis mandato, perlibenter plenariam largitur Indulgentiam christifidelibus qui, supra indicatis conditionibus rite adimpletis, Sanctuarium Nostrae Dominae Gratiarum in forma peregrinationis devote visitaverint et ibi iubilareis celebrationibus, sollemnitatibus peculiaribusque circumstantiis, de consensu Exc.mi Episcopi determinatis, alicuique sacro ritui vel pio exercitio in honorem Sanctae Deiparae Virginis peractis, attente ac religiose interfuerint, vel saltem, ante sacram eiusdem Imaginem animo piis considerationibus intento constiterint per congruum temporis spatium, concludendum Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Sanctissimae Virginis Mariae.

Fideles senectute, morbo vel gravi alia causa impediti, pariter plenariam consequi valebunt Indulgentiam si, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, coram aliqua parva Beatae Mariae Virginis imagine iubilareis functionibus vel peregrinationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus ac doloribus suis vel incommodis propriae vitae, misericordiae Deo per Mariam fiducialiter oblati.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiarum enixe rogat ut Sanctuarii Rector et sacerdotes, opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, in iubilari templo prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant ac S. Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

*Maurus Card. Piacenza*  
MAURUS Card. PIACENZA  
*Paenitentiarum Maior*

*Christophorus Nykiel*  
CHRISTOPHORUS NYKIEL  
*Regens*



## PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 1131/18/I


### DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, Exc.mo ac Rev.mo Patri Domino Dominico Rey, Episcopo Foroiuliensi-Tolonensi, benigne concedit ut, in Apparitionum Iubilaeo Nostrae Dominae de Cotinacco, die pro fidelium utilitate eligendo, post litatum divinum Sacrificium, impertiat omnibus christifidelibus adstantibus, qui vere paenitentes atque caritate compulsi iisdem sacris interfuerint, **papalem Benedictionem** cum adnexa *plenaria Indulgentia*, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et Orationem ad mentem Summi Pontificis) lucranda.

Christifideles qui **papalem Benedictionem** devote acceperint, etsi, rationabili circumstantia, sacris ritibus physice non adfuerint, dummodo ritus ipsos, dum peraguntur, ope instrumenti televisifici vel radio-phonici propagatos pia mentis intentione secuti fuerint, *plenariam Indulgentiam*, ad normam iuris, consequi valebunt.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die XV mensis Novembris, anno Domini MMXVIII.

  
MAURUS Card. PIACENZA  
*Paenitentiarius Maior*

  
CHRISTOPHORUS NYKIEL  
*Regens*